

1098 turbam, quidam etiam viri illustres, inedia laborum impatientes, quandoque moliti sunt fugam: in quibus Petrus Eremita, Guilelmus Carpentarius regio sanguine ortus, & Tancredus Boemundi necessarius fuere: qui ut desertores cum ignominia ex fuga retracti, novo militiæ sacramento sunt adaçti. Amarissimæ quoque voces in ipsos duces vulgo jactatæ: Duxisse illos ab occidente sole ad ortum omne Christiani nominis robur, ut id ipsum quantumcunque esset, circa Antiochiæ mœnia sedendo, fame perderent: nullum esse tam nefandum cibum, in quem miseri milites ad eam diem non suos morsus vertissent: esse itaque crudelissimos ductores cum sua pertinacia relinquendos: aut si quid curæ iis esset suæ salutis, continuo se quocunque terrarum inde abducerent: vel si ita libeat, in aliquod extremum pugnæ discrimen conjicerent: jocundum sibi fore prædicantes, præ his malis quæ modo paterentur, vel in eam aciem duci, in qua certo scirent esse moriendum: longe quidem pulchrius ducere, se fortiter pugnando occumbere, quam captivorum more, fame & desidia extingui. Boemundi auctoritas, cujus, ob præstantes ipsius in re militari virtutes, inter cæteros duces omnium scriptorum testimonio maxima in illis castris fuit, non parum valuit ad hos motus comprimendos: addita ejus comis oratio, quæ in spem melioris fortunæ militum erexit animos. Sed quum fames nihilo interim levior esset, multi mortales fugam circumspectare cœperunt: fuissentque haud dubie castra brevi relicta, quum peropportune allatum est, ingentes hostium copias adesse: cum quibus non solum de obfidione retinenda, sed de vita quoque esset dimicandum: venisse diem, quo aut ipsum Europæ nomen circa Antiochiæ mœnia extingueretur, si minus prospere esset pugnatum, aut certe fame, aliisque malis, quæ ad eam diem miles passus esset, defungeretur. Ad tam trepidum nuncium non modo non territi sunt Gallorum animi, sed totis castris acclamatum, ducerent se continuo in aciem: satius fore semel mori, si vincere non detur, quam lente periclitando quotidie mortem adire. Ducti itaque extemplo milites in pugnam, concursumque in conspectu urbis: ancipiti ab initio eventu multis